



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 4. De remissione venialis post hanc vitam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

ut remittantur quaedam peccata, & non alia si remittantur per modum meriti, quod in iudicio diuino aestimetur sufficiens, ut condignitatem habeat ad remissionem aliquorum & non omnium: & tunc non oportet, ut ex parte ipsorum peccatorum sit maior ratio de vno, quam de alio: sed Deus suo arbitrio id facere poterit, si supponamus ex parte peccatoris omnia esse aequalia, sicut in remissione ex opere operato etiam contingit, & fere in remissione poenae debita pro vno vel alio peccato.

SECTIO IV.

Virum poenitentia etiam sufficiat post hanc vitam ad peccata venialia tollenda.

HAEC quaestio locum non habuit in mortalibus peccatis, quia certum est, eum, qui in mortali moritur, in aeternum puniri, & ideo statim post mortem ita obstinari in malo, ut vere poenitere non possit. Ac propterea etiam non habet locum quaestio in peccatis venialibus, quae post hanc vitam manent coniuncta mortalibus, quia etiam de illis non possunt obtinere vere poenitere, & per solas poenas nunquam auferuntur, ut supra dixi. Versatur ergo quaestio de culpa veniali, quae potest manere in anima, quae iusta separatur a corpore.

Non desuerunt tamen, qui dicerent, casum esse impossibilem, quia vel iustus habens peccatum veniale tempore mortis, agit quod potest ad illius expiationem, vel non: si primum tollitur peccatum ante mortem: si secundum, graue peccatum committit, ita ut gratiam amittat, quia ille est quidam contemptus propriae salutis, & diuinae offensa, ac satisfactoris. Verum tamen haec sententia falsa est, & nimis rigorosa. Primo quidem, quia licet aliquis vel ex negligentia, vel etiam sciens, & videns committat adhibere remedium peccatis venialibus ante mortem, non propterea peccat mortaliter: quia nullum ostendi potest de hac re praecipuum: & contemptus, qui praesumitur, non est verus, potest enim esse sola negligentia, vel nimia sollicitudo circa corporis salutem, vel alias res temporales, cum illa spe, quod malum illud veniale post mortem habet remedium: sicut negligentia in satisfactione pro poena temporali, propter easdem rationes non est peccatum mortale, per se loquendo. Deinde illa sententia non sufficienter distinguit: potest enim accidere, ut homo iustus neque adhibeat remedium veniali peccato, neque illud voluntarie committat, ut in repentina morte, vel in quacunque naturali inaduerentia.

At vero Alensis, qui ex parte adhaesit huic sententiae in 2. p. q. 124. alias 10. memb. 10. & 4. p. q. 57. & q. 65. alias 17. & 27. & Maior in 4. d. 21. q. 3. dicunt, in eo casu peccata venialia remitti in tempore ante mortem per gratiam, quam vocant finalem, absque alio actu hominis. Vnde concludunt, nunquam contingere, ut iustus moriatur in solo peccato veniali, quia semper decedit cum gratia finali. Potestque in huius sententiae fauorem citari Gre. 4. Dial. c. 24. quatenus dicit, Deum purgare leuia peccata iustorum ipsa mortis acerbitate. Hanc vero sententiam merito impugnat D. Tho. in 4. d. 21. q. 1. art. 3. quia loquitur sine fundamento. Quid enim addit gratia finalis supra gratiam toto tempore vitae habitam? nihil prorsus, nisi durationem vsque ad mortem, seu coniunctionem cum morte. hoc autem non est remedium contra veniale peccatum. Vbi enim institutum est? aut qua lege constat? Item illud est dicere omnem mortem iusti ex opere operato tollere veniale. Quod si hoc licet sine fundamento dicere, eodem modo posset quis fingere omnem mortem iusti tollere etiam ex opere operato, poenas talium peccatorum. Item dicere, tunc gratiam ita roborari, ut fomitem

A extinguat, falsum est: quia gratia in se non mutatur, nec fomes ex parte animae seu virtutis extinguitur, sed solum vires corporis deficiunt (ut recte D. Th. notauit), quod ad remissionem venialis nihil refert.

Item declaro in hunc modum, quia vel peccatum veniale tollitur in ipso mortis instanti: & sic anima non est in corpore, quia est primum non esse hominis: vel in aliquo alio instanti ante mortem: & sic non dum gratia est finalis. Quod si dicatur dari instans, in quo iam est in fallibile illam gratiam futuram esse finalem: hoc, licet verum sit, nihil confert ad nouum effectum gratiae, nisi ex aliquo speciali privilegio, ut in martyrio: quod hic affirmari non potest. Neque etiam potest dici remissionem illam, nec fieri in instanti mortis, neque in aliquo instanti signato ante mortem, sed in tempore immediato ante instans mortis: id enim est impossibile, quia, si remissio illa facta est in tempore, durante vita, ergo necesse est dari aliquod instans diuidens tempus, in quo homo erat in statu peccati venialis, a tempore in quo iam fuit sine illo: ergo illud instans fuit vltimum esse, vel saltem primum non esse talis peccati (nihil enim refert ad praesens alterutrum dicere) ergo non fuit facta remissio in tempore immediato ante instans vltimum, & consequenter nec per gratiam finalem. Accedit denique excogitari posse casum, in quo homo existat in actuali complacentia peccati toto tempore immediato ante instans mortis: tale autem peccatum non potest illo tempore remitti.

C Nec Gregor. citato loco aliquid fauet dictae sententiae, quia nec loquitur vniuersaliter de omni morte iustorum, sed de morte acerba, & violenta, quam Deus interdum permittit, etiam in electis, & sanctis viris. Nec etiam loquitur de morte ipsa pro nuda separatione animae a corpore, seu quatenus est terminus vitae: sed loquitur de morte ratione doloris & poenae voluntarie acceptae, purgantur peccata quoad reatum poenae, non semper omnino & perfecte, sed iuxta proportionem poenalis mortis & reatus. Tamen, si mors sit acerba, & reatus sit de solis venialibus, & persona sit iusta, & sancta: verisimile est omnino purgari: hoc fortasse voluit Gregorius. Quod licet etiam loquatur de remissione culpe venialis prope tempus mortis commissa, ut indicat afferens exemplum de Propheta occiso a Leone 3. Reg. 3. intelligendus est, quatenus per talem mortem Deus excitat in voluntate iusti actum doloris, vel submissionis ad Deum sufficientem ut culpa illa remittatur.

Cum ergo certum sit posse animam separari a corpore cum gratia, & culpa veniali, explicare necesse est, quando, per quid, & quomodo tollatur. Nam quod aliquando tollatur, dubitari non potest, cum certum sit animam habentem peccatum veniale, non posse videri Deum, quia, nihil inquinatum introibit in illam: & alioqui etiam sic certum, animam perseverantem in gratia vsque ad mortem aliquid visuram esse Deum, quia propter solum veniale peccatum nemo punitur in aeternum. Et in hoc conueniunt ceteri omnes Scholastici in 4. dist. 21. & D. Thom. q. 7. de Mal. art. 11. Gabr. d. 16. q. 1. Soto d. 15. q. 2. art. 2. Adr. in 4. quaest. 4. de Confes. Abulensis, Matth. 25. q. 9. Et tanquam rem certam eam supponit Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 39. & habetur in e. Qualis, d. 25. & alij infra citandi. In modo autem explicandi hanc remissionem est diuersitas opinionum.

Prima est eorum, qui dixerunt peccata venialia paulatim & successiue remitti per ipsam poenam ignis purgatorij. Quod consequenter dicent Gabriel, & Medina, alijque qui putant veniale peccatum nihil esse aliud post transactum actum, nisi reatum poenae, nam hic reatus solutione poenae tollitur: vnde sicut poena successiue infligitur, ita etiam reatus successiue minuitur, donec tollatur. Haec vero sententia habet

Sensus quaestio.

Quorundam opinio.

Refellitur.

Alia opinio. Alens. Maior.

Gri. gregorius.

Quando tollantur venialia post hanc vitam.

D. Thom. Gabr. Soto. adrian. Abulensis. Greg.

Prima opinio. Primum fundamentum.

habet falsum fundamentum, vt ex supra dictis constat.

Et ideo aliqui dixerunt remitti quidem peccatū veniale successione temporis, quo purgatur anima, non tamen per solam pœnam, sed per bonos actus quos tunc anima exercet, præsertim per voluntariam acceptationem, & patientiam in toleranda illa pœna. Indicat D. Thom. in 4. d. 21. q. 1. art. 3. clarior Bonauent. articulo. 2. quæst. 1. Carthus. q. 1. Abulensis, Matth. 25. quæst. 718. Et idem sentit Sorus dist. 15. q. 2. a. 2. Et potest suaderi, quia Scripturæ sanctæ, Sancti Patres significat hæc peccata remitti in purgatorio, & per ignem illius, ex illo 1. ad Corinth. 5. Si quis fuerit, sic tamen quasi per ignem: loquitur enim de illo, qui lignum, fœnum, & stipulas super adificat, quæ per peccata venialia intelliguntur, vt docuit Aug. in Enchiridio, cap. 69. & 21. de Ciuit. cap. 26. & de Fide & operibus, cap. 15. & de Vera, & fals. pœnit. c. 18. Et refertur in Decreto d. 25. c. penul. Et in c. Quibus refertur eadem sententia ex Greg. li. 4. Dialog. ca. 39. qui eam colligit ex illo Matt. 12. Non remittetur neq. in hoc seculo neque in futuro: nam inde inferat aliqua peccata remitti in futuro seculo: non mortalia (inquit) sed venialia, quæ remittuntur in purgatorio: quod necesse est intelligi quoad culpam: nam quoad pœnam quæ relinquuntur post remissionem culpam, etiam mortalia ibi remittuntur. Eadem sententia sumitur ex Isidoro libr. 1. de Diuinis officiis, c. de Sacrificio, & Richardo de S. Viâ. in Opusculo de Differentia venialis, & mortalis peccati.

Sed nihilominus hæc opinio quoad illam temporis dilationem, & successiuam remissionem culpam, mihi non probatur: quia aut actus, per quem remittuntur illa peccata, est sufficiens dispositio, vel forma ad expellenda illa, vel non: si primum dicatur, ergo in eodem momento, in quo ille actus est, tolluntur peccata, quia, vt supra ostendi, temporalis duratio actus non est necessaria ad effectum remissionis: si autem actus est imperfectus, nihil efficiet circa remissionem culpæ, donec perficiatur, & tunc statim & sine successione illam expellet, quia illa perfectio non oportet vt sit intensiua, vt etiam supra ostensum est: ergo solum esse potest substantialis perfectio ipsius actus, quæ simul cum ipso actu, & instanti efficitur. Et præterea interrogo, an illa successio sit propter multitudinem peccatorum venialium, vel in vno & eodem. Hoc posterius non est verisimile, alias ipsamet culpa per partes & successiue remitteretur: quod est improbabile, quia actus, per quem remittitur, toti culpæ æque opponitur. Prius etiã, licet impossibile non sit, non est tamen necessarium: quia dispositio sufficiens ad remissionem venialium peccatorum, simul, & in vno momento haberi potest, vt supra declaratum est: & alias anima exuta corpore, non est impedita: ergo non indiget successione: præsertim quia supponimus esse iustam & habere perfectam cognitionem sui status.

Concludendum igitur est, omnia peccata venialia, cum quibus homo iustus decedit, remitti quoad culpam in primo instanti separationis animæ à corpore. In quo conuenienti reliqui Auctores citati, & citandi. Et præter dicta, probabitur latius ex sequenti. Nec testimonia adducta repugnant, quia ab illo instanti incipit anima purgari intrinsece: & ideo quamuis tunc remittantur hæc peccata, vere dicuntur remitti in purgatorio. Præsertim, quia plena remissio, scilicet quoad culpam & pœnam, non consummatur in eo instanti, sed per purgatorium ignem.

Per quid autem tunc remittantur, varie etiam explicatur. Quidam asserunt remitti à solo Deo per extrinsecam condonationem, sine interuentu causæ secundæ, & sine respectu ad opus hominis. Sed hoc nec fundari potest, nec est consentaneum rationi. Nam, si Deus ita remittit peccata illa, cur non antea

A remiserat, siquidem ex parte hominis eadem erat dispositio, vel potius non repugnantia: Dicere enim quod propter solam mortem id fiat, est tribuere huic effectum ipsi morti quasi ex opere operato. Atque ita rationes supra factæ contra Alens. contra hanc sententiam procedunt.

Secunda sententia circa hoc fuit Scoti, d. 21. q. 1. dicentis, Deum remittere omnia peccata venialia in illo instanti propter præcedentia merita, etiam si in illo instanti anima nihil operetur, vel sine respectu ad speciale opus, quod tunc operatur: sed quia ipse homo reulit opera huius vitæ in illum finem: vel quia ipso etiam non referente, Deus acceptauit: & hoc posterius videtur magis sentire Sorus. Significat enim omnia opera meritoria acceptari à Deo ad remissionem venialium, sed diuerso modo: nam, si ab operante referantur ad hunc finem, acceptantur ad remissionem, quæ statim fit: si vero non referantur, acceptari ad remissionem in instanti mortis faciendam. Quod si obiciat Almain. qu. 1. interdum posse decedere iustum cum peccato veniali, & sine meritis. Respondere potest Scotus necessarium esse, vt saltem merita Christi illi fuerint applicata per sacramentum, & illis eandem acceptationem, seu applicationem interuenire. Atque hanc sententiam quantum ad priorem partem, quod remissio fiat cum respectu ad merita præcedentia, tenuit Albertus d. 21. art. 1. Estque probabilis, vt statim dicam. Tamen quoad aliam partem exclusiuè non placet, quia, si priora merita erant digna illa remissione, cur non statim data fuit? Certe non potest alia ratio reddi nisi quia anima non erat disposita: ergo ob eandem rationem non remittentur in primo instanti sine congrua dispositione animæ. Nam dicere in hoc esse concessum priuilegium aliquod ipsi morti, est omnino gratis dictum: & contra id possunt fieri omnes rationes factæ contra Alens. Est etiam inconueniens admittere quod de facto fiat remissio peccati venialis, sine aliqua mutatione intrinseca proportionata voluntatis, quia hic non est consentaneus modus sanctificationis, & remissionis. Atque in hunc modum potest vrgeri argumentum Almaini. Nam, si quis baptizatus adultus, habeat peccata venialia, & nulla merita, verisimile non est illi remitti peccata venialia in instanti mortis propter Christi merita, sine alia dispositione, vel applicatione, quia, vel illa peccata fuerunt commissa ante baptismum: & non fuerunt remissa propter obicem, & sic neq. in mortis instanti auferentur, nisi ob ex auferatur per aliquam dispositionem: vel illa peccata fuerunt post baptismum commissa, & sic baptismus per se non habet efficaciam circa peccata venialia, quæ post illum committuntur, vt suo locum ostensum est: & ideo non est verisimile applicari per illum merita Christi ad remissionem futurorum peccatorum venialium in instanti mortis faciendam, sine alia dispositione. Atque idem fere argumentum fieri potest cum proportione de cæteris sacramentis, & de meritis propriis, saltem respectu peccatorum, quæ post illa sunt.

D Dicendum ergo est, in primo instanti separationis animæ à corpore habere animam feruentem affectum dilectionis Dei, & contritionem etiam perfectam omnium præcedentium culparum. Ita sentit D. Thom. qu. 7. d. Mal. art. 11. Rich. d. 21. artic. 2. qu. 1. Palud. q. 1. art. 1. conclus. 3. Dur. Maior, & Almain. quæstion. 1. Abul. Matth. 25. quæst. 723. & alij supra citati. Probatur, quia talis anima in eo momento optime cognoscit statum suum, & est expedita ad operandum: & ex parte Dei habet auxilium efficacissimū iuxta menturam suæ gratiæ: & ipsa statim sine mora operatur, & perfecte tendit in Deum, & auertitur ab omnibus venialibus: ergo ille actus sufficit vt statim tollantur omnia illa peccata quoad culpam. Atque ita constat penitentiam posse remittere hæc peccata, etiam post hanc vitam. Neque oportet vt in eo

instanti

8
Abul. fundam. in 7.
D. Thom. Bonauent. Carthus. Sorus. Paul.

89

89

89
Richard. de S. Viâ.

9
Improbatur opinio.

10
Venialia remitti in instanti separationis animæ à corpore.

11
Per quid tunc remittantur.

12
Secunda sententia Scoti.

Albertus Responsum.

13
Venialia in illo instanti tolli per feruentem affectionem, & contritionem animæ. Vera sententia.

D. Tho. Richard. Palud. Dur. Maior. Almain. Abul.



instanti multiplicentur actus, ut quidam dixerunt, A
 quando peccata remittenda sunt multa, & varia:
 quia, ut supra ostensum est, vnus actus efficax, & v-
 niner salis sufficit ad omnia tollenda: plures ergo a-
 ctus amoris, aut penitentiae nec necessarij sunt, nec
 fortasse iuxta ordinarij modum operandi, possunt
 in illo instanti haberi: plures vero actus aliaru
 virtutum particularium, quibus venialia peccata
 opponerantur, forte haberi possunt, tamen forma-
 liter ad remissionem talium culparum necessarij
 non sunt.

*In quo genere cause talis actus remittat illas
 culpas.*

14
 Non remittit, ut forma physica
 Sed per modum dispositio-
 nis.
 An concurrat meritum de condigno.

Criet.

Anima in instanti moris est in gratia, confirmatur, & existit extra statum merendi.

15

D. Thom.

D. Bonau.
 Richard
 Adrian.
 Etiam de congruo.
 Obiect.

Enodatur.

16

Quid de satisfactione pro peccata.

Sed quid de satisfactione, nam cum ille actus co-
 tritionis & doloris poenalis sit, erit etiam satisfac-
 torius pro tota, vel saltem pro parte poenae debitae,
 atque ita ratione illius actus minuetur poena purga-
 torij, quod videtur inconueniens: alioqui tam in-
 tensa posset esse contritio in illo instanti, ut omnino
 expiaret poenam purgatorij debitam illi culpa. Cir-
 ca hoc aliqui concedunt aliquid poenae remitti pro-

pter illum actum. Et sane, qui asserunt ad satisfaci-
 dum pro poena temporali non esse necessarium pa-
 ctum, vel promissionem vllam ex parte Dei, sed ex
 natura rei fieri, ac necessario consequi, ut qui vniam
 poenam assumit, non sit dignus alia: qui hoc (inquam)
 asserunt, non video quomodo negare possint tantam
 poenam remitti ex vi illius contritionis: quanta re-
 mitteretur ceteris paribus per similem contritionem
 habitam ante mortem. quia, si nudam rei naturam
 inspiciamus, tam valida, & efficax est contritio in v-
 no statu, sicut in alio: imo in instanti mortis eo est ve-
 hementior dolor, quo maior est culpe cognitio, ma-
 iusque desiderium purgandi delictum. Neque ex sola
 rei natura reddi potest ratio, ob quam efficacitas con-
 tritionis ad satisfaciendum duret in toto vitae tem-
 pore, & in instanti mortis iam non sit. Praetertim quia
 iidem Auctores asserunt, contritionem in illo instan-
 ti esse condignam satisfactionem pro culpa veniali,
 non ex pacto, aut per modum meriti, sed quia per mo-
 dum formae conuertit, & rectificat voluntatem: ergo
 eadem ratione consequenter dicere debet, ut est que-
 dam poena, formaliter expellere reatum alicuius poe-
 nae temporalis. Haec tamen sententia probanda non
 est: imo hinc a posteriori intelligi potest, fundamem-
 tum, in quo nititur, falsum esse: nam ex illo sequitur
 illud consequens, quod probandum non est: tu pro-
 pter rationem factam, quod sepe posset per talem ac-
 tum culpa, & reatus poenae totus expellitur etiam,
 quia eadem ratione omnes actus poenales voluntarie
 elicit in purgatorio toto tempore quo durat, esse
 sententia satisfactorij, & per se ac natura sua expellerent
 aliquem reatum, seu dignitatem poenae: nam si legem Dei
 secludamus, nulla ratio reddi potest, cur talis actus
 habeat ex natura sua hunc effectum formalem expellendi
 talem reatum quodam tempore, & non alio.

Alij vero, etiam si fateantur negotium hoc satisf-
 actionis nostrae pendere ex pacto & lege Dei, nihilominus
 dicunt in illo instanti fieri aliquam remissionem
 poenae debite pro tali culpa veniali, ex alio prin-
 cipio, quod Deus non remittit aliquam culpam, quin
 commutet poenam illi debitam in minorem: hoc
 autem non fit sine remissione alicuius poenae. Assu-
 ptum patet, tum quia quoties culpa mortalis remit-
 titur, commutatur poena aeterna in temporalem: ergo
 multo magis quoties remittitur culpa venialis, com-
 mutabitur poena temporalis in breuiorem, vel remissionem
 tum etiam, quia quamdiu homo in se
 habet culpam, dignior est poena quam cum illa ca-
 ret. Contra hanc vero sententiam etiam vrget argu-
 mentum illud quod per talem attritionem posset
 omnino expiari illa poena. Sequitur etiam, in eodem
 instanti per contritionem de peccatis mortalibus
 posse vel tolli, vel saltem poenam temporalem, debitam
 pro eisdem peccatis. Denique sequitur per actus poenales
 voluntarie elicitos post hanc vitam posse poenas
 purgatorij, aut breuiores, aut leuiiores fieri. Quae
 omnia cenfeo esse inconuenientia & contra communem
 sententiam Theologorum, ut latius in materia de Satisfac-
 tione, & Purgatorio dicitur.

Respondetur ergo, in illo instanti nullam poenam
 purgatorij remitti ex vi illius contritionis, quae est
 sententia Diui Thomae q. 7. de Malo ar. 10. Et ratio a-
 priori est, quia Deus statuit tempus huius vitae ad sa-
 tisfaciendum per nostros actus, vel poenas huius vi-
 tae, tempus autem vitae futurae ad sustinendam con-
 dignam poenam ignis. Sicut autem in instanti mor-
 tis intrinsece finitur haec vita, & intrinsece incipit a-
 lia, ita in illo iam non habet locum modus satisfaci-
 endi huius vitae, sed intrinsece incipit satisfactio per
 purgatorium ignem. Nec est necesse, ut illa remissio
 fiat cum commutatione poenae in minorem, nisi qua-
 tenus in eodem instanti incipit cum ipsa remissione
 poena ignis, per quam aliquo soluitur, quamuis illa
 non sit proprie diminutio poenae quoad durationem
 tem po-

Quorum-
dam senten-
tia.

Retidetur.

17
Secunda
sententia.

Improbatur.

18
In illo in-
stanti nul-
lam purga-
torij poenam
remitti ex vi
illius contri-
tionis.
Ver a solutio,
D. Thom.

temporalem: sed quoad intrinsecum terminum eius, & hac ipsa non fit proprie per remissionem, sed per solutionem. Neque est simile de remissione peccati mortalis, nam illa fit per gratiam infusionem de nouo, & ideo necessario tollit aeternitatem poenae: fit etiam semper in hac vita: & ideo, si fiat per actum proprium, fit cum aliqua satisfactione pro poena temporali. Ex eademque causa prouenit, ut remissio venialis culpae in hac vita semper fiat cum aliqua diminutione poenae sensus, quia semper fit cum aliqua satisfactione: per se autem necessarium non est, ut quoties remittitur culpa venialis, minuat poena temporalis, vel quoad durationem, vel quoad intensiorem eius. Nam quoad quandam carentiam familiaritatis, vel fauoris diuini, quam supra diximus esse coniunctam cum culpa quando durat, concedere possumus hanc poenam remitti etiam in anima separata in eodem instanti, in quo remittitur culpa, quia est intrinsece illi annexa, ut supra declaratum est. Id autem intelligendum est iuxta capacitatem illius status, ut latius infra in proprio loco.

ARTICVLVS. III.

Vtrum venialia peccata remittantur per aspersionem aquae benedictae, &c. huiusmodi.

Supra q. 65. art. 1. ad 6. q. 8. & q. 81. art. 3. ad 3. q. 4. ad 16 q. 2. art. 1. q. 4. q. 17. q. 3. art. 1. q. 3. q. 21. q. 1. art. 1. q. 2. mal. q. 7. art. 12. art. 1. huius q.



Ad tertium sic proceditur. Videtur quod venialia peccata non remittantur per aspersionem aquae benedictae, & Episcopalem benedictionem, & alia huiusmodi. Peccata enim venialia non remittuntur sine penitentia, ut dictum est. Sed penitentia per se sufficit ad remissionem venialium peccatorum. Ergo ista nihil operantur ad huiusmodi remissionem.

Præterea: Quodlibet istorum eandem relationem habet ad vnum peccatum veniale, & ad omnia. Si ergo per aliquod istorum remittitur aliquod peccatum veniale, sequitur quod pari ratione remittantur omnia. Et ita per vnam infusionem peccatorum, vel per vnam aspersionem aquae benedictae, redderetur homo immunis ab omnibus peccatis venialibus, quod videtur inconueniens.

Præterea: Peccata venialia inducunt reatum alicuius poenae, licet temporalis: dicitur enim 1. Cor. 3. de eo, qui super edificat lignum, fenum, & stipulam, quod saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Sed huiusmodi, per quae dicitur peccatum veniale dimitti, vel nullam, vel minimam poenam in se habent. Ergo non sufficiunt ad plenam remissionem venialium peccatorum.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in libr. de Penit. quod pro leuibus peccatis peccato nostra tundimus, & dicimus, Dimitte nobis debita nostra. Et ita videtur quod tunc so peccatoris, & oratio Dominica cause remissionem venialium peccatorum. Et eadem ratio videtur esse de aliis.

Respondetur dicendum, quod (sicut dictum est) ad remissionem venialis peccati non requiritur noua gratiae infusio: sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis desistat peccatum veniale vel explicitè, vel saltem implicite, sicut cum aliquis seruenter mouetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum. Vno modo, in quantum in eis infunditur gratia: quia per infusionem gratiae tolluntur venialia peccata, ut supra dictum est. Et hoc modo per Eucharistiam, & Extremam unctionem, & vniuersaliter per omnia sacramenta nouae legis: in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo, in quantum sunt cum aliquo motu desestationis peccatorum. Et hoc modo confessio generalis, tunc so peccatoris, & oratio Dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum: nam in o-

In libr. de Medicis p. 1. c. 1. 109. q. 1. huius q.

A ratione Dominica petimus. Dimitte nobis debita nostra. Tercio modo, in quantum sunt cum aliquo motu reuerentiae in Deum, & ad res diuinas. Et hoc modo benedictio Episcopalis, aspersione aquae benedictae, quilibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, & si aliqua alia sunt huiusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.

Ad 1. ergo dicendum, quod omnia ista causant remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animum ad motum penitentiae: qui est desectatio peccatorum implicite, vel explicitè.

Ad 2. dicendum, quod omnia ista, quantum est de se, operantur ad remissionem omnium peccatorum venialium. Potest tamen impediri remissio quantum ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhæret: sicut & per fictionem interdum impeditur effectus baptismi.

Ad 3. dicendum, quod per praedicta tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam, & non virtute alicuius satisfactionis, tum etiam virtute charitatis, cuius motus per praedicta excitatur. Non autem per quodlibet praedictorum semper tollitur totus reatus poenae: quia sic qui esset omnino immunis à peccato mortali, aspersus aqua benedicta, statim euolaret. Sed reatus poenae remittitur per praedicta secundum modum seruoris in Deum, qui per praedicta excitatur, quandoque magis, quandoque autem minus.

COMMENTARIVS.

Quanuis Diuus Thomas in titulo, præcipue videatur querere de virtute, quam sacramentalia habent ad tollenda peccata venialia, tamen in corpore etiam de sacramentis respondet. Et de illis in primis dicit, per omnia sacramenta nouae legis peccata venialia remitti. Quod probat, quia per omnia sacramenta infunditur gratia: per infusionem autem gratiae tolluntur peccata venialia, ut supra (inquit) dictum est, scilicet art. præcedente. Non declarat autem D. Th. quid requirant sacramenta ut habeant hunc effectum: neque an singula sacramenta remittant omnia peccata venialia, quae inueniunt in homine, vel quae, aut qualia, sed tantum indefinite loquuntur. Nec denique an semper hoc faciant, vel aliquando: insinuat tamen, quando cunque gratiam infundunt, tollere etiam venialia peccata. Sed hæc omnia explicabimus dissequente.

Ratio autem D. Thomae prætermitti hic non potest. Nam, vel destruit expositionem à nobis datam articulo 2. vel non rectè colligit. Cum enim ibi dixit D. Thomas, per infusionem gratiae tolli peccata venialia, interpretati hoc sumus de infusione primae gratiae, quatenus habet ad effectum motum in Deum, & in peccatum: at sacramenta non omnia infundunt hoc modo primam gratiam, saltem per se loquendo: nec requirunt ad suos effectus motum in Deum, & in peccatum: ergo, vel D. Thomas non rectè subsumit, vel prior illa propositio male à nobis exposita est. Quocunque autem istorum concessio, infirma redditur ratio. De primo per se constat: De secundo probatur, sic enim fundamentum rationis erit, per omne augmentum gratiae illa peccata remitti: quod falsum esse supra ostendimus.

Respondeo, obiectionem concludere obscurum esse sensum illius propositionis D. Thomae, quæda infunditur gratia adulto, venialia peccata remitti. Tamen, quia nec veritas ipsa aliud patitur, nec verba etiam D. Th. in art. 2. ut ibi ostendimus, ideo ab interpretatione ibi data discedendum non est. Hunc vero locum dupliciter possumus interpretari. Primo, licet non omnia sacramenta per se sint instituta ad dandam primam gratiam: omnia tamen aliquando illa dare posse, iuxta sententiam D. Th. ut in superiori tomo latius vidimus: ideo quod D. Th. hic non loquitur de sacramentis in omni operatione sua, sed quando primam gratiam infundunt.

Conclian. tar loc. D. Thom.

hildem.